

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Studium ad
cum fonte primo

Quod in corpore nostro uidemus operari naturam alimenta que accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant et solida innatant stomacho onera sunt; ac cum eo quod erant mutata sunt, tunc demum in uires et sanguinem transeunt. Idem in illis quibus aluntur ingenia prestemus ut quecumque hausimus non paciamur integra esse ne aliena sint. Coquamus illa alioquin in memoriam ibunt, non ingenium nostra illa faciamus. Vnum quidem fiet ex multis;

hec faciat animus noster omnia quibus est adiutus abscondat, ipsum tamen ostendat quod efficit.

Seneca LXXXVII. epistola.

Quod in corpore nostro uidemus sine ulla opera nostra facere naturam (alimenta quae accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant et solida innatant stomacho, onera sunt; ac cum ex eo quod erant mutata sunt, tunc demum in vires et in sanguinem transeunt), idem in his quibus aluntur ingenia praestemus, ut quaecumque hausimus non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa; alioqui in memoriam ibunt, non in ingenium. Adsentiamur illis fideliter et nostra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis, sicut unus numerus fit ex singulis cum minores summas et dissidentes computatio una comprehendit. Hoc faciat animus noster: omnia quibus est adiutus abscondat, ipsum tantum ostendat quod efficit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 84, 5-7 (L. Reynolds ed., vol.1, p.286, ll.15-27).